

B. N. II, 126.

x 1878799

h. 313.



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
JUDICIO PARIUM
CURIÆ
BOM

Mann-Gericht!

Quam

Divinâ aspirante gratiâ

EX DECRETO AC AUTORITATE
MAGNIFICI

RECTORUM ORDINIS
IN ALMA LUDOVICIANA

PRO

DIGNITATE DOCTORALI
EIQUE ANNEXIS PRIVILEGIIS
OBTINENDA,

Publico Excellentiss. Academiæ Antistitum,

Examini exponet

IOH. CONRADUS Sondershausen/

FRANCOFURTENSIS ad MOENUM,

Die August. M DC LXXXVIII.

G I E S S E,

Imprimebat CHRISTOPH. HERMANNUS KARGERUS, Acad. Typogr.


de iudicio Parium Curiae Vol. IX. 82.

V. 8



gan
voo
tra
me
def
tal
tal
mo
de
ri
ex





PROOEMIUM.

SI quidpiam litigia meditan-
 tibus commendatum esse de-
 bet, est sollicita & prudens
 circumspectio, ut in iudicium,
 qui causas in Imperio Ro-
 mano Germanico audire so-
 lent, multitudine talem eli-
 gant, qui fori competentiam habeat, reumq; in ius
 vocandum nolentem volentem ad iudicium suum
 trahere possit. Ut enim taceamus, basi ac funda-
 mentum iudicii esse Iudicis competentiam, indeq;
 defectum esse maximum, ac iudicata omni autori-
 tate, omniq; valore destitui, si iurisdicendi facul-
 tate caruerit Iudex, quot quæso difficultates & re-
 moras subinde experiuntur Actores, qui inconsi-
 deratè ad iudicium quoddam provolantes, va-
 rias, quibus rei forum declinare satagunt, audire
 exceptiones, easdemq; non sine sumptibus prius dis-
 ceptare

ceptare coguntur? Ad domicilii Iudicem vocati, sepiissime venire detrectant, atq; sub preventionis pretextu litem vel in foro contractus, vel in loco rei sita dirimendam esse clamitant. Clerici coram Laico conveniri se non patiuntur; Studiosus Privilegiatum suum laudat iudicem, Rectorem; Miles Ducem vel militum Magistrum; personae miserabiles Principem, Principes aliq; nonnulli Status Imperii Austregas, alii alios. Neq; in civilibus tantum, verum in feudalibus quoq; iudicium venire negotiis, cauteq; & in illis circa eligendum Iudicem convenientem procedendum esse, rerum magistra loquitur experientia; Ubi pro diversitate causarum, quae occurrere solent, interdum Feudi Dominus una cum paribus Curiae controversias dijudicare debet, interdum solus Imperator exclusis paribus adeundus, nonnunquam Ordinarius loci Magistratus, interdum excluso Domino parium Curiae competens est iudicium. De quo Parium Curiae iudicio cum pro inaugurali Dissertatione nonnulla proferre animus sit, Tu, benignissime Deus, proposito largire gratiam, ut fausto cepta omine, optato ad finem perducere valeamus.

THES



THESIS I.



IUDICIUM dictum à judicando, quod ex vocabulo jus & verbo dicere, Varro *lib. 5. ling. lat.* alii & quidem rectius à jure & dicendo compositum arbitrantur. Martinus, Calepinus in *Lexic.* quasi tunc jus dicatur. Unde Judicem quasi juridicem & judiciũ quasi juridicium appellatum volunt. Cassiod. *11. variar. 9.* Cujac. *in recit. ad rubric. extr. de Iudic. Colleg. Argentorat. ad tit. ff. de Iudic. n. 3.* sive Jurisdictionem. Umm. *in Process. Iur. Diss. 1. th. 1. n. 1.* atque secundum vim vocis judicare & jus dicere æquiparantur; Quamvis secundum antiquam Romanorum judiciorum formam jus dicere saltem Prætores, Prædes & alii, qui Jurisdictione gaudebant; judicare vero omnes dicebantur iudices, sive majores sive minores, etiam iudices à Præto re dati, sive pedanei jurisdictione destituti: *l. 12. pr. ff. de Iudic. l. 14. C. b. t. l. 5. ff. de re judic. l. ult. C. ubi & apud quem restit.* Duaren. *Disput. lib. 1. c. 53.* Varia est autem vocis iudicii acceptio, indicat enim (1) mentis discretionem, *l. 12. §. 2. de Iudic. §. 1. Inst. quibus non est permiss. fac.* (2) Ultimam voluntatem *l. 32. §. 1. de inoff. test. l. 16. C. fam. hercisc.* (3) Actionem *l. 13. de Iudic. l. 1. C. fam. hercisc.* (4) Sententiam Iudicis, *l. 83. §. 1. de V. O.* (5) Condemnationem *l. 1. de his, qui not. infam.* (6) Locum, ubi controversiæ disceptantur, *l. 2. si quis caut. in judic.* (7) Legitimam litium apud Iudicem tractationem

Etymologia
&
Homonymia.



ac dijudicationem. Wesemb. n. s. ad tit. ff. de Iudic. quæ significatio hujus est loci. Alii plures addunt, quæ apud lexicographos videri possunt.

THE S. II.

Vox PARES à nomine par descendit, dictique pares à paritate, non quod par eorum status, qualitas vel potestas esse debeat, ita, ut si Vasallus, cum quo lis vertitur, sit Comes, Pares Judices etiam Comites, si Baro, etiam Barones esse oporteat; sed à paritate fidelitatis ita vocati, seu quod pares & æquales inter se sint in eo, quod ipsorum res feudales unius Domini territorio subsint. 1. Feud. 26. §. Testes. & §. 1. verb. Pares de Domo Domini. Finckelth. Controv. feud. disp. 11. th 9. §. quamvis lit. b. n. 3. Das sie gleiches Recht haben / und mit gleicher Treu einem Lehens Herrn verbunden.

THE S. III.

CURIA vero à cura, quoniam, dicente Festo, Curia ille locus est, in quo publicæ curæ aguntur: Unde eleganter Pomponius in l. 2. §. 2. ff. de Origin. Juris. Romulum, inquit, populum in triginta partes divisisse, quas partes CURIAS appellavit, propterea, quod tunc Reip. CURAM per sententias partium earum expediebat: Significat alias Curia vel ordines hominum, qui curant, ut in d. l. 2. ff. de Orig. Juris. l. 3. ff. quod cujusq. universit. nom. Ita Curia senatoria, i. e. amplissimi ordinis, Romani Senatus confessus, in l. 1. C. Theodos. de Consul: Curia Decurionum l. 2. 14. 17. 23. C. de Decurion. atque hoc sensu in 2. F. 15. 2. F. 22. dicitur Curia & Curia judicium: vel locum, in quo curantur res divinæ vel humanæ, ita Curia Sacerdotum, Curia Senatus erat Hostilia, Pompeja, Julia. Calvinus

in

In lexic. In Feudalibus vero communiter Domum Domini, ex quo feuda dependent, & ubi feudalia judicia exerceri solent, Germ. *Lehen Hoff* / item *Ding Hoffe* / aliquando *Mann Häuser*. *Besold. Thesaur. pract. voc. Mann Gerichte.*

THES. IV.

Pares Curia, uti frequentius in jure feudali hoc nomine insigniuntur. *1. Feud. 11. 2. Feud. 2. 20. 32. 55. fin. & alibi passim; appellantur etiam Pares simpliciter 2. Feud. 2. 19. 32. Pares Curtis. 1. Feud. 4. §. 3. quod ab antiqua voce latina Cors, significante locum conclusum ante aedes virorum Principum, deducit Vossius. lib. 3. cap. 7. voce Cartisanus. Pares Domus. 1. Feud. 11. 2. F. 16. Pares de domo Domini 1. Feud. 26. §. 1. Pares Curtis Domus Domini 1. F. 2. pr. Convalalli. Ludvvel. Synops. Jur. Feud. p. 92. Judicium vero Parium Curia etiam simpliciter dicitur judicium Parium. 1. Feud. 18. Judicium Curia 2. Feud. 15. laudamentum Parium. 1. Feud. 21. Laudatio Parium, ut in Const. Henr. II. Imp. apud Ardizon. & Alvarott, Germ. *Mann Gerichte.**

THES. V.

Hac vocum explicatione praemissa, JUDICIUM PARIIUM CURIAE describimus, QUOD SIT JUDICIUM FEUDALE, IN QUO LITES INTER DOMINUM ET VASALLUM CIRCA CAUSAS FEUDALES EXORTAE CORAM ALIIS EJUSDEM DOMINI INQUE EODEM TERRITORIO FEUDA TENENTIBUS VASALLIS LEGITIME DISCEPTANTUR AC DECIDUNTUR. Definitio.
Generis & Genus.
 quidem proximi locum occupat JUDICIUM FEUDALE

LE, sive Judicium, quod non communi Jure, sed ex singulari feudalium Constitutionum & consuetudinum dispositione est introductum: Quorum feudalium judiciorum tria cum primis in libris feudorum reperimus; primò hocce nostrum parium Curia; quando nimirum Dominus cum Vasallo 2.F. 55. in fin. secundò Domini & Parium Curia simul; quando scilicet duo Vasalfores, quorum alter Vasallus saltem assertus est, de feudo non regali: 1. Feud. 18. 2.F. 15. in fin. Rosenthal. de Feud. Conclus. 1. cap. 12. num. 8. (obst. 2.F. 34. pr. & Struv. p. 592.) Tertio totius Imperatoris Judicium, quando duo vel plures Vasalfores, qui indubitato Vasalli sunt, aliaque feuda ab isto Domino possident, inter se de quodam feudo contendunt, 2. Feud. 55. Similiter si controversia fuerit de feudo Regali inter Capitaneos, puta Duces, Marchiones, Comites, 1.F. 18. 2.F. 34. pr. Ord. Cam. part. 2. tit. 7. in verb. Ob auch Sachen vorfielen / Fürstenthum / Herzogthum / Grafschafft belangend / so vom Reich zu Lehen rühren / so einent Theile ganz und endlich abgespröchen werden sollen / derselbigen Erkantniß wollen wir der Keyserl. Majest. oder Ihrer Lieb. und Keyserl. Majest. Abwesen / uns als Röm. König vorbehalten haben.

THES. VI.

An detur jus
Principum?

An vero hoc ultimo in casu detur jus aliquod Principum, das Fürsten-Recht / uti vocant, vigore cujus Imperator Principes Imperii tanquam Pares Curia ad dijudicationem istiusmodi causarum adhibere teneatur, acriter inter se pugnant Publici Juris Doctores; affirmat hoc ipsum Limnæus de jur. publ. lib. 2. cap. 9. num. 32. & seqq. Conring. in Dissert. de Ind. Imp. th. 65. Autor des gründlichen Berichts über die Frage: Ob der Röm. Keyser in des Heil.

Heil. Reichs Lehen = Sachen allein richten könne: Negant
 verò Andr. Knichen *de territ. jur. cap. ult. n. 2.* Carpzov.
de Leg. Reg. Germ. cap. 9. sect. 12. num. 27. Stamler. *de re-*
servat. Imper. §. 38. & seqq. Arumnæus *disc. 3. ad Aur.*
Bull. cap. 41. & alii, Imperatorem solum absque Principi-
 bus cognitionem suscipere ac sententiam dicere posse
 statuentes: Atque pro utraque parte varia, quibus alii
 Imperatores cognitionem istam vel sibi solis vindica-
 runt, nec pares nec status, nisi pro arbitrio admiserunt;
 alii vero contrarium non obscure fassi sunt, exempla pro-
 stant. Nostram ut in hac Doctorum dissensione senten-
 tiam aperiamus, cum (1) in Recessibus Imperii peculiare
 aliquod iudicium, quod nomine *des Fürsten-Rechts* insi-
 gniatur, reperire non liceat; inque instrumento Pacis (2)
 sententiæ à solo Imperatore in talibus causis latæ appro-
 bentur, licet per compositionem & transactionem ali-
 quid iis decesserit, conferatur etiam *art. 4. circa finem, in*
verb: coram Casarea Majestate: (3) Recessus Imperii no-
 vissimus *de Anno 1654.* Instrumento pacis respondeat *in*
§ 188. verb. Und von uns erörtert worden. Et (4) proces-
 sus in talibus causis secundum Reformationem Ordina-
 tionis Cameralis *de Anno 1555.* & consequenter secun-
 dum *tit. 7.* ejusdem instituendus sit. Denique (5) expe-
 rientiâ teste, Citationes, mandata & sententiæ nomine
 solius Imperatoris & hodie expediantur; arbitramur, Im-
 peratorem solum in feudis Regalibus esse iudicem; ita
 tamen, ut si causa magni sit momenti, unde Imperio præ-
 judicari possit, consilium Electorum, Principum ac Sta-
 tuum Imperii antea exquirere debeat; juxta Capitulat.
 Leopoldi Imper. *§. 39. in verb. fin.* Wir sollen und wollen
 auch in wichtigen Sachen / so das Reich betreffen und von
 B hohem

hohen præjudiz und weiterem Aussehen seynd/bald Anfangs
der Churfürsten / auch nach Gelegenheit der Sachen / Fürs-
ten und Ständen Raht: Bedenckens uns gebrauchen / und
ohne dieselbe nichts hierinnen vornehmen.

THES. VII.

Causa effi-
ciens,

Coetera definitionis vel descriptionis capita diffe-
rentiam exhibent specificam, à causis tam externis quam
internis petitam. Causam efficientem Judicii nostri con-
stituimus Jus, cum naturale, quod, uti optimum semper
& perfectissimam intendit in vita humana, ita singulare
aliquod instillat homini justitiæ studium, atq; ob nimiam
caritatem, quâ erga se quivis ardet, in propria causa pro-
hibet esse Judicem, quò unicuique etiam tertio à nobis
suum tribuatur. *J. 3. I. de just. & jur.* Tum jus positivum,
Imperatorum puta Principumque Constitutiones & con-
suetudines feudales. Cuinam vero genti harum, inde-
que Parium etiam Curia, judiciorumque feudalium ori-
go debeatur, non usque quaque apud Feudistas expedi-
tum est: Nonnulli ad primæ Monarchiæ tempora eandem
referunt, hancque sententiam *ex I. F. I.* ubi antiquissimi
temporis fit mentio, firmari posse autumant. *Niell. in disp.
Feud. I. th. I.* Alii Romanos constituunt autores, diversi-
mode tamen, dum hi clientelis ipsorum tribuunt ini-
tium, ut Vasallus Clientis, Dominus Patroni loco veniat.
Zaf. in epit. feud. p. I. num. I. Illi ab Hominibus (uti Ro-
manis dicebantur) deducunt, qui in Jure Justiniano
pro actoribus, custodibus, emphyteuticariis, & precariis
possessoribus sumuntur, prout testatur *Hattysen cap. I. Iur.
Feud.* Isti ad fundos militibus datos referunt, *Sonsbec.
part. I. num. 32.* Nonnulli allegant alia; complures cum
Molinæo ad Consuet. Paris. tit. I. pr. num. 12, 13. Gallis &
Francis

Francis adscribunt. Rectius tamen Germanis hæc gloria competit, atque in specie Longobardis, à quorum moribus maximè informatæ sunt consuetudines feudales. Hæc itaque, uti sensim transiere ad gentes, àque posteris continua observatione propagatæ sunt, ita cum illis iudicium parium Curia ad nostra tempora feliciter transiisse, dubium non est, *vid. hanc in rem Dn. Struv. Synt. I. F. cap. 1. aph. 3. & Dn. D. Hanneken. in Iano Iuris, fronte 2.*

THES. VIII.

Cum in omni legitima causæ controversæ tractatione certæ quædam requirantur personæ, sine quibus iudicium constitui nequit, Judex, Actor & Reus, quibus nonnullæ utilitatis gratia interdum accedunt: inter necessarias vero primum obtineat locum Judex, qui cognoscat causam, ac litem autoritate suâ dirimat, hinc non incongrue dispicimus, quisnam hic loci munere hoc fungatur? Quod ipsum indicat Iudicii nostri à subjecto activo defumta denominatio, sc. PARES CURIAE, his enim generatim iurisdictio & cognitio controversiarum feudaliū inter Dominum & Vasallum 2. Feud. 39. §. si inter. 1. Feud. 21. pr. 1. Feud. 22. §. sancimus, 2. Feud. 16. 2. F. 55. in fin. data est; sive pares illi sint Laici, sive Clerici; Rosenthal. de Feud. cap. 12. Conclus. 3. num. 23. sive dignitate litigantibus pares sive inferiores, Mynsing. 4. obs. 89. num. 3. Fachin. 7. Controv. 102. privatæ conditionis sive Magistratus Schrader. de Feud. part. 10. sect. 5. num. 3. Jus enim feudale in his nullum facit discrimen.

Subjectum;

Judices sunt Pares Curia;

THES. IX.

In his Paribus tamen requiritur ut Vasalli sint (1) ejusdem Curia, die einen Mann und Lehen-Hoff haben / (2) immediati, qui immediate ab illa Curia feudum teneant, &

Modo sint ejusdem curia, immediati & jurati,

(3) jurati, qui vinculo juramenti Domino obstricti sunt
2.F.16.2.F.55.in fin. Excluduntur itaque ab hoc judicandi
munere Vasalli, qui licet ab uno eodemq; Domino investi-
ti sunt, in diversis tamen territoriis feuda possident, diver-
sasq; Curias Dominicales sequuntur: puta si Princeps duas
habeat Curias feudales, alteram in Franconia, alteram in
Saxonia, Vasalli Saxonicae Curiae non erunt Pares Fran-
conicae, propter Curiarum diversitatem, & viceversa, *Struv.*
Synt. Jur. Feud. cap. 16. aph. 6. num. 3. Wesemb. de feud.
cap. 17. n. 3. Speckhan. quest. jur. cent. 2. class. 4. quest. 35.
n. 15. similiter excluduntur subvasalli, *Affter & Lehenmänn-*
ner qui à Vasallo Domini de praedio, quod de Curia Do-
minicali tenebat, subinfeudati sunt. Hi enim, quamvis
Domino directo sive mediato ad reverentiam & hono-
rem exhibendum ita teneantur, ut si offenderint eum,
nec illi satisfecerint, subfeudum amittant, non tamen il-
lius sed subinfeudantis fideles sunt, quippe cui mediante
contractu feudali & praestito juramento ad fidem & ser-
vitia principaliter, Domino verò majori per consequen-
tiam saltem atque in subsidium obligati, *2.Feud. 34. §. si-*
militer. Hartm. Pistor. 2. qu. 45. in fin. Klock. de subfeud.
cap. 4. n. 38. & seqq. neque Pares ejusdem domus vel Do-
mini dici merentur. *Bald. Cap. Caeterum. n. 11. de jud.* Ex-
cluduntur porro, qui à Domino sub fidelitatis debito
conjurati non sunt. *2.Feud. 55. in fin. & 2.F. 4.* à quo nec
Clerici nec Ecclesiae, si de feudo velint investiri, sunt im-
munes. *arg. cap. 30. X. de jurejur. cap. un. §. verum quando,*
de stat. regul. Bocer. de Investit. cap. 4. n. 11. Obst. 2.F. 101.
Hartm. ab Epping. 2. pract. Observ. tit. de feud. 54. obs. 4.
num. 5. & 6. unde quibus juramentum hoc remissum est
juxta 2.F. 3. & 24. §. 1. in paritate cum Vasallis aliis con-
sistere,

littere, adeoque pares Curiaē esse, dici nequit. Sed quid de simultaneè & abusive investitis dicendum? Num hi pro paribus habendi, atque ad decisionem controversiarum feudalium cum aliis admittendi? Negamus cum Schradero *tract. feud. part. 10. sect. 7. num. 7. & seqq. per text. in 1. F. 26. vers. Testes vero sint pares*, ubi requiritur, ut qui numero parium associari volunt, feudum teneant, sive actualiter & corporaliter possideant; verbum enim tenere in propria significatione realem & corporalem possessionem sive detentionem denotat. *l. 38. §. 8. ff. de V. O. l. 49. §. 1. de Acquir. vel amittend. poss.*

THES. X.

Quotquot autem pares Curiaē fuerint, omnes simul iudicis partes sustinent, quoniam iurisdictio hæc feudalisis est collectivè penes totam curiam, quod probat imprimis textus *in 2. Feud. 22. in verb. Eum ad Curiam vocari debere: item Curia Dominum debet mittere in possessionem 2. Feud. 15. 2. F. 46. Jung. 1. F. 21. 22. §. sancimus. 2. F. 55. ubi indefinite [quæ propositio regulariter universali æquis pollet] causæ inter Dominum & Vasallum motæ ad parium Curiaē cognitionem referunt. Vultej, *de Feud. lib. 2. cap. 2. num. 25. Alvaror. in cap. 1. num. 1. apud quem vel quos: nisi litigantes vel solus Dominus quendam ex Curia eligi & coram eis controversiam disceptari malit, tum enim ex voluntate litigantium vel Domini electio instituenda est, sive Vasallus aëtoris sive rei partes sustineat. 2. F. 16. Et quamvis Rosenthal. cap. 12. concl. 6. num. 7. Schrader part. 10. sect. 8. n. 24. aëtoris (sive Dominus ille, sive Vasallus sit) arbitrio relinquunt, utrum coram tota Curia, vel Paribus eligendis experiri, actionemq; suam instituire velit, adeò, ut etiam Domino contradicente Vasal-**

Vel omnes, sive tota Curia.

Ius totam Curiam ad judicandam evocare possit; communis tamen Interpretum schola Domini voluntatem hic potiore adeoque præferendam esse statuit. *dict. 2. Feud. 16. ibi: Secundum numerum à Domino comprobatum.* Gothofr. Anthon. *disp. feud. 14. th 3. lit. d.*

THES. XI.

Vel electi à Domino & Vasallo.

Eliguntur vero Pares Curiaë, [si prout dictum, Dominus electionem fieri velit,] simul & à Domino & Vasallo litigantibus *2. F. 16. & ibi Andr. de Ifern. Bald. Alvarott. Matth. de Afflict. & Feudistæ communiter.* Limitatur tamen hæc regula (1) si Dominus vel Vasallus inter se convenerint, ut unus Pares Curiaë eligere possit ac debeat, tum enim juxta conventionem vel Dominus vel Vasallus electionem instituere, atque electi ab uno judicandi munere fungi poterunt. *2. F. 16. verb. si quidem Dominus & Vasallus consenserint in paribus eligendis, nulla dubitatio est l. penult. C. de pact.* (2) si alter legitime requisitus eligere nolit, vel contumax in eligendo existat, nec justam contradicendi causam habeat, alter solus electionem expedire poterit *L. 22. §. 1. ff. de fideicommiss. libertat. arg. l. 37. ff. solut. marr. Rosenthal. Concl. 6. n. 22. & 28. Vultejus. l. 2. cap. 2. n. 27. Hartm. Hartm. de feud. obs. 12. & quidem, ut pro contumace aliquis habeatur, unica requisitio hic sufficiet, Mynsing. 1. Obs. 91. cum in extrajudicialibus ad constituendum aliquem in mora unica saltem interpellatione opus sit: l. 32. pr. de usur. arg. l. 87. §. 1. de Leg. 2. l. 1. §. ult. de Act. empt.* Et quamvis Matth. de Afflict. in cap. de contro. apud Par. term. n. 21. contumacem captis pignoribus ad eligendum coërceri atque compelli posse: Decius vero in cap. Cæterum de judic. n. 14. potestatem eligendi ad totam Curiam deferendam esse arbitrentur,
prior

prior tamen sententia hisce opinionibus merito præferenda erit, (3) limitatur, si pacto investituræ cautum sit, quod in controversiis inter Dominum & Vasallum exortis vel solus Dominus vel solus Vasallus Pares Curiaë eligere debeat, quod pactum utique valebit, tum quod contractus quilibet ex conventionem legem accipiant, atque legum dispositionibus per pacta contrahentium derogari possit. *l. 31. ff. de pact. l. 32. ff. de Reg. Iur.* tum quod in causis feudalibus tenor potius investituræ, quam consuetudo ac regularis natura feudorum attendi atque inspicere debeat: *2. F. 2. 2. F. 3. in fin. 2. F. 18. in fin.* (4) si statuto cautum sit, ut vel Dominus solus vel solus Vasallus Pares eligat: Ita Jure Saxonico circa causas feudales inter Dominum & Vasallum vertentes cautum erat, ut solus Dominus feudi Pares Curiaë eligeret, *artic. 65. Lehen-Recht*; in *J. Findet man aber sein selber nicht: verl. So soll dann der Lehen-Herr zum meisten bringen sechs seiner Manne*; & *artic. 68. Lehen-Recht*; ibi: *Als der Herr sein Lehen-Recht begriffen hat. Carpzov. 1. Const. 27. defin. 1. n. 4.* quod statutum Juri Communi non esse contrarium ex *Auth. offeratur. C. de lit. contest. Can. Peregrina. 3. qu. 6. Can. quisquis 4. quest. 5. Can. Iudices 11. qu. 1.* facile demonstrari potest. An vero (1) ut ad unum electio pertineat, etiam consuetudine introduci possit, non usque quaque expeditum est. Negant hoc, *Zasius in tract. feud. part. 11. n. 12. Rosenthal. Concl. 6. n. 14. Borcholt. de feud. cap. 10. n. 1. Gail. 2. Obs. 34. n. 3.* ubi contra consuetudinem, vigore cuius Dominus solus Pares Curiaë eligere voluit, in Camera Imperiali pronunciatum esse scribit in *Causa Seckendorff contra Brandenburg/ & in causa Schwarzenburg/ contra Comitem à Castel*; Verum, pace tantorum Virorum, cum consuetudine

suetudine possit introduci, quod statuto potest. Vultej.
inter Consil. Marpurg. Conf. 29. Vol. 2. n. 39. Mynsing. *Resp.*
49. n. 26. atque in tantum lex, statutum & consuetudo à
 pari procedant, §. 11. *I. de jur. nat. gent. & civ. l. 32. ff. de*
LL. Weseemb. conf. 53. n. 59. & consuetudo valida sit in iis,
 quæ valida sunt per pactum. Card. Tusch. *præct. Conclus.*
tom. 2. lit. C. concl. 807. Zabarell. *Consil. 146. num. 3.* cum
 Schradero, Hartmanno Hartmannio, Henrigio Göden,
 Wurmsero & aliis in affirmativam inclinamus.

THES. XII.

Modus eli-
 gendi.

Modum vero eligendi, numerumque eligendorum
 quod concernit, ut ritè procedatur (1) Dominus Vasal-
 lum & viceversa hic illum ad electionem parium requi-
 rat 2. *F. 22.* quoniam, qui ad aliquod factum obstrictus
 est, illud in effectum regulariter deducere non tenetur,
 nisi ab adversario propterea fuerit requisitus. *l. 5. §. 1. ff. de*
collat. l. 2. §. 1. ff. quod legat. l. 1. §. 1. ff. ut in poss. legat. prout
 etiam Vasallus ad servitia obligatus, ad præstationem ta-
 men eorum non ante tenetur, quam Dominus petierit.
 Andr. de Ifern: Alvarott, Jacob de S. Georg. & alii *ad 2.*
F. 2. (2) causam litis summam exponat: *arg. dict. 2. F. 22.*
 ut constet de fori competentia, & ne tempus & sumtus
 frustra impendantur: si Dominus & Vasallus in eligendis
 Paribus consentiant, electio qualitercunque facta valet ac
 tenet. *2. F. 16.* si vero inter se non conveniunt, Dominus
 tanquam dignior eligit prior ex tota Curia quot & quos,
 modo habiles sint, voluerit, quem sequitur Vasallus eun-
 dem numerum observaturus; In hoc enim æqualitas in-
 ter Dominum & Vasallum servanda est; adeo, ut neque
 Dominus electionem ad certas personas restringere, ne-
 que Vasallum ad unum vel alterum ex iis eligendum co-
 gere

gere possit, hæc tamen omnia ita obtinent, si consuetudines & statuta in quibusdam locis contrarii quidpiam non induxerint. Vide fusius hæc tractantem Schraderum *Part. 10. sect. 9.*

THES. XIII.

Electi hi Pares à Domino & Vasallo omnes æqualem potestatem habent, neque à Domino electi prærogativa quadam gaudent præ cæteris, sed conjunctim nomine totius Curia jurisdictionem exercere debent, ita ut Dominus eos ad judicandum vel ipsemet cogere possit, si cogendi facultatem habeat, vel per judicem ordinarium aut superiorem. *Clar. in § feudum, qu. 90. n. 3. & Dd. Comm. in cap. 1. de Prohibit. feud. alien. per Frideric. & in cap. 1. de Controv. apud Par. term.* An vero Pares ita electi novum juramentum præstare cogantur, de recte judicando, non convenit inter FF. Quidam indistincte illud requirunt per *l. 14. C. de judic. W esemb. de feud. cap. 17. n. 5. vers. pares autem. Schrader. sect. 11. quest. 38. n. 105.* Plerique vero censent, juramentum fidelitatis à Paribus Curia semel præstitum sufficere, ita ut novo juramento opus non sit, *1. F. 26. fin. 2. F. 55. fin.* siquidem in juramento fidelitatis diserte id contineatur, quod Domino de justitia non velint esse in damno. *2. Feud. 6. & 7. Finchelthaus. Disp. 11. thes. 20. Vultej. lib. 2. c. 2. n. 29. Borcholt. de feud. cap. 10. n. 37.* Distinguit vero Gothofred. Anton. *Disp. 14. thes. 4.* statuens, si Pares jurarint etiam, se justitiam recte & fideliter administraturos, novum ab ipsis juramentum exigere non posse, si vero simpliciter illud præstiterint, nullâ de justè & rectè judicando factâ mentione, utique de novo exigere debere; Verum sententia negativa communior, & moribus Germaniæ est convenientior. *Harrm. Hartm. de feud.*

Electi æqualem potestatem habent.

*feud. Observ. 22. Mynf. Obs. 89. cent. 4. Mozz. de natu.
feud. n. 113.*

THES. XIV.

Quæstio,

Porro disquiri solet, an Parium Curiaë jurisdictio ordinaria sit? Quod nos affirmamus; quoniam illi jurisdictionem suam ab ipsa lege habent. *2. F. 55. fin.* quæ verò à lege concessa jurisdictio, ea ordinaria est, non mandata. *l. 6. ff. de jurisdict.* Idque verum non tantum in casu, quo tota Curia, sive omnes Curiaë Pares simul judicant, sed etiam, ubi ex Curia nonnulli electi sunt; siquidem electi eodem modo, quo vi statutorum Academiaë Rector ad hoc officium electus, item Arbitri quivis statutarii à lege datam ordinariam exercet jurisdictionem: hæc tamen ordinaria jurisdictio, quòd notandum, non generalis, sed specialis est, feudalium causarum cancellis inclusa: Cum itaque dicto modo ordinaria sit, concludunt inde Feudistæ, eandem aliis mandari atque delegari posse. *l. 5. ff. de Jurisdict.* Vultej. *de Feud. lib. 2. c. 2. n. 6.* Mozz. *de natural. feud. n. 113.* quibus tamen contradicit Finckelth. *Disp. 11. th. 15. per l. 1 ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. ad* ejus argumenta in conflictu respondebimus. Hæc de Judice.

THES. XV.

Actor &
Reus.

Sequuntur litigantes, Dominus Feudi & Vasalli, qualemcunque Actoris vel Rei personam sustineant, & cujuscunque sint conditionis, masculi vel foeminaë, patres vel filii familias, Clerici vel Laici, in dignitate constituti, vel plebeji, etiam Ecclesia, Civitas, Collegium, vel alia universitas. Equidem sunt, qui Imperatorem aliosque superiores non recognoscentes hic excipiant, statuentes, eos in causis inter se & Vasallum disceptandis officio judicis fungi debere, *Præpos. c. 1. num. 1. de Investit. in marit. fact.*

Curt.

Curt. in tract. feud. part. 1. qu. 8. n. 25. & alii moti tam l. 41. ff. de hered. instit. l. 3. ff. de his qua in testam. del. ubi Imperatores in propriis causis jus dixerunt: tum Tit. 7. part. 2. Ord. Cam. & tit. 5. Aur. Bull. quibus in locis feudorum regalium cognitionem Imperator sibi reservavit. Verum enim verò, cum paribus Curiaë jurisdictio ex contractu feudali inter Dominum & Vasallum inito competat, eoque ipso, dum Dominus alii feudum concedit, ipse parium Curiaë judicio in causis ac litibus, ratione feudi illius motis tacite se submittat, certumque sit, Superiorem non recognoscentes in contractibus uti jure communi, atque ad pacta & contractus servandos naturali æquitate esse obstrictos; neque juri vel rationi repugnet, si superior alterius etiam inferioris jurisdictioni sese submittat: Aur. Bull. tit. in fin. l. 14. ff. de jurisd. præterea etiam jura feudalia indistincte & generaliter loquantur atque in cap. 1. Sententia quoq; vers. & si qua controversia: de pace Constantia; Fridericus Imperator velit controversias inter ipsum & alios de societate ortas, per pares Civitatis vel Episcopatus agi; cum Gothof. Anton. Diss. feud. 14. th. 2. VVe-semb. de feud. c. 17. Mynsing. 4. Obs. 89. exceptionem hic non admittimus.

THES. XVI.

Idem dicendum de personis privilegiatis, Clericis, Studiosis, personis miserabilibus: tum quod nullibi reperiantur à Parium Curiaë judicio exceptæ, tum per textum 2. F. 20. ubi contentio inter Episcopum & Vasallum de Investitura orta per Pares Curiaë dijudicanda esse dicitur, tum quod sub dispositione juris generalis etiam comprehendantur personæ in aliis privilegiatæ, arg. l. 16. ff. de testam. milit. l. 3. C. de rescind. vendit. Tiraqu. de utroque retract.

retract. part. 1. §. 1. gl. 14. n. 96. arque hæc adeo vera sunt, ut Pares Curiã alteri litigantium, qui alterum coram alio iudice vel privilegiato vel ordinario in causa feudali convenire nititur, ad petitionem conventi, sub debito fidelitatis præcipere possint, ut ipse ab hoc desistat, & actiones suas si quas habere putat, coram ipsis instituat. *arg. cap. 6. X. de foro compet. & si admonitus ab hoc non desistat, in contumaciam contra ipsum, tanquam contra juramentum fidelitatis delinquentem ad feudi privationem procedi possit; sive Dominus sive Vasallus fuerit; 2. F. 6. fin. §. Domino. §. 47. c. 1. Schrader part. 10. sect. 5. num. 227. usque ad fin.* Sed quid de simultaneè investitis secundum jus Saxonicum dicendum? num in controversiis inter ipsos & Dominum de feudo motis etiam Pares Curiã iudices erunt? affirmamus! Sunt enim hi simultaneè investiti veri Vasalli, qui solemni ritu à Domino recepti fidelitatem mediante juramento promiserunt, atque jus in feudo simultaneum nacti sunt. vid. *Torgau 2c. Aufs schreiben/ tit. Welcher gestalt: §. Jedoch. verl. Dann sonst. Hartm. Pift, lib. 2. quest. 20. num. 16. 18. Carpzov. p. 2. c. 48. def. 8. n. 1.*

THES. XVII.

Simili ratione, si Dominus cum Vasallo, cui in investitura fidelitatis juramentum remissum est, de feudo contendat, parium Curiã iudicium erit fundatum: Licet enim nemo Vasallorum ad suscipiendum iudicandi munus in Curia eligi possit, nisi fidelitatis juramento obstrictus sit Domino, ut supra docuimus, secus tamen se res habet cum Vasallis litigantibus, in quibus, ut causam suam Curiã decisioni submittere possint, non præcise requiritur, ut juramentum fidelitatis præstiterint, sed sola investitu-

ra sufficiet. per *text. express. 2. F. 20.* imò licet nondum
 investitus sit, vel Dominus cum pro Vasallo agnosce-
 re nolit & vice versâ, curia tamen judicabit. *2. F. 24. §. 1.*
2. Feud. 39. §. si inter. 2. Feud. 46. Porro parium Curia
 judicium competens esse in casu, quo alter litigantium
 Vasallorum præ tendit esse feudum antiquum, alter vero
 asserit illud esse novum, Dd. communiter statuunt per
2. F. 46. ideo, quia Domini interesse hoc casu, ubi de evi-
 ctione teneri potest, vertitur, indeque ipse in propria cau-
 sa judex esse non poterit. *Vultej. l. 2. c. 2. n. 18. Schrader.*
part. 10. sect. 2. n. 13. Rosenthal. c. 12. concl. 33. Et hi qui-
 dem, puta Pares Curia, Dominus & Vasallus, qui vel ju-
 dicis aut actoris vel rei personam præsentant, judicii no-
 stri personæ principales sunt, quibus accedere solent alia
 minus principales, quæ tamen salvo judicio abesse pos-
 sunt, communiter tamen commoditatis gratia accedunt,
 Assessores, Advocati, Procuratores, Testes, Apparitores
 & alii.

THESES. XVIII.

Progredimur ad objectum, quod constituunt lites Objectum:
 inter Dominum & Vasallum de re feudali motæ, sive lis
 fuerit de toto feudo, sive de parte, sive contendat de in-
 vestitura aut ejus intellectu, quod vigore illius sibi invi-
 cem debeatur, sive agat Dominus ad editionem instru-
 menti investituræ, sive ut Vasallus catalogum bonorum
 feudalium exhibeat, eorum fines & terminos demonstret;
 sive Vasallus feudum esse proprium neget, v. g. francum,
 & à servitiis immune asserendo; pactum, præscriptionem,
 privilegium, certam servitiorum & conditionatam qua-
 litatem alleget; si conqueratur, quod Dominus in ejus
 præjudicium tenorem veteris investituræ mutare velit; si

contendatur de laudemio, tributis & collectis Vasallo
 ratione feudi impositis, & similibus: Neque differentiam
 facimus inter actiones, siue realis sit actio, siue personalis,
 mixta, in rem scripta, rei vel poenæ persecutoria, si de in-
 juria ratione feudi commissa, siue felonia agatur; vel Va-
 fallus minor aut Ecclesia adversus Dominum feudi resti-
 tutionem in integrum petat, vel alia actio instituat
2. Feud. 20. Ubi Feudista inquit universaliter: Per Cu-
 riam, quicquid inter Dominum & Vasal-
 lum agendum est, expediri debere.

THES. XIX.

Neque illud interest, an feudum sit novum vel an-
 tiquum, proprium vel improprium, francum, emtum, ex-
 pacto & providentia majorum acquisitum. De feudo
 mere hæreditario, quod ad extraneos etiam hæredes tran-
 sire solet, nonnulli ambigunt, num cognitioni ac juris-
 dictioni parium illud sit subiectum? ob rationem, quia
 hocce naturam sapit allodialium: Sed eo non obstante
 rectius & hoc sub generali regula continetur; licet enim
 feudi hæreditarii indoles quodammodo sit impropriata,
 ista tamen improprietas ultra terminos non est extenden-
 da: Namq; canon est inter omnes decantatus, quod feuda
 degenerantia, in quibus non reperiuntur expresse vel per
 inevitabilem consequentiam mutata, regulis feudorum
 priorum constringantur & tamdiu secundum regu-
 lam sit pronuntiandum, quamdiu de certa manifestæ ex-
 ceptionis fide non constet, uti omnes notant ad *2. F. 48.*
 unde cum nullibi hæreditaria feuda quoad forum privi-
 legiata vel impropriata esse deprehendamus, merito Pa-
 riam Curiaæ judicio & illa submittimus.

THES.

Ita Paribus Curia jurisdictionis competit in controversiis inter Dominum & Vasallum de re feudali obortis; & quidem private non cumulative; ita, ut neque Dominus feudi neque ordinarius loci iudex easdem ad forum suum trahere possit. Si vero causa non sit feudalis, ad forum commune & iudicem loci ordinarium illa spectabit, neque coram Paribus Curia ventilari poterit. Ita ordinarius iudex ad eundem est, si lis quidem sit inter Dominum & Vasallum verum, sed de re allodiali. Si controversia mota sit de feudo quidem, sed inter Dominum & eum, qui Vasallus non est; similiter si agatur de feudo nondum constituto, sed juxta promissum constituendo; si contendat de fructibus perceptis; si deficiat forum feudale, puta, quod Pares Curia Dominus non habeat, vel Pares in eadem causa debeant esse testes, alii vero, qui his substituantur non adsint; si actio inter Dominum & Vasallum non ad privationem feudi, sed criminaliter sit intentata; si Dominus & Vasallus de feudo litigantes in ordinarium iudicem consentiant, ejusque jurisdictionem prorogent, licet enim Vasallis inter se de feudo litigantibus absque consensu Domini alterius iudicis jurisdictionem prorogare non posse communiter statuunt feudistae, eò quod prorogantes honorem atque auctoritatem Domini negligere, inque ipsum injuriosi esse videantur; Aliter tamen de Parium jurisdictione, eamque prorogationem admittere sentiunt, *arg. 1. F. 21. fin. 2. F. 52. pr. Gothofr. Anton. Disp. 14. th. 5. lit. b. Innocent. in cap. Ceterum. n. 3. X. de judic.*

THES. XXI.

Cum itaque Parium jurisdictionis in allodialibus non sit competens, quaeritur, an non ad minimum per viam

An reconventio locum habeat?

recon-

reconventionis indistinctè in qualibet causa fundari possit? Affirmativam suadere videtur *l. 14. C. de Sentent. & interloc.* quæ generaliter reconventiones atque è contrario actorem, ubi obnoxius fuerit inventus, condemnare judici permittit: Sed quoniam jurisdictio nostra feudalis fines habet limitatos, atque ex jure speciali est indulta, negantium opinioni subscribimus atque ita distinguimus: Aut causa reconventionis plane est à feudo aliena, aut est feudalis, aut ad minimum ex natura & occasione feudi promanat: Illo casu reconventioni locum denegamus, tum, quia *2. F. 1. & 55.* expresse cautum, jurisdictionem Parium eatenus tantum esse fundatam, quatenus inter actorem & reum de feudo est contentio; Tum quia oppositæ *L. 14.* verba finalia regulam indifferenter loquentem ad paritatem negotii restringunt: Unde, quia maxima est discrepantia causarum feudalium & non feudalium, reconventio in iis subsistere non poterit. Obrecht. *de Feud. pag. 468.* Rittershusius *part. fin. p. 538.* Mynsing. *obs. 90. cent. 4.* ubi sic in Camera Imperiali judicatum esse testatur.

THES. XXII.

Forma.

Ad formam judicii nostri pertinet, ut LEGITIME ac servato juris ordine procedatur: Sed quisnam iste? Respondemus, cum jure feudali peculiaris ordo judiciorum non sit præscriptus, ideò recurrendum esse ad jus commune, atque processum ordinarium in iis observandum: *2. F. 1.* unde necessaria est citatio, libellus offerendus, lis contestanda, exceptiones & replicationes producendæ, probationes faciendæ, in causa concludendum &c. Ita tamen, ut quædam singularia inconsuetudinibus feudali-
bus tradita etiam hic observentur; (1) ut Curia vel electi
Pars

Pares Curiaë per literas aut viva voce certiores reddantur, atque ad judicandi munus subeundum justitiamque administrandam compellantur. Turius tamen esse putat Rosenthalius, si hoc per Notarium in præsentia testium expediatur. (2) quod secundum consuetudines feudorum reus, antequam contra ipsum procedatur tribus distinctis vicibus citari debeat, neque sufficiat una, tres simplices continens, citatio peremptoria. 2. F. 22. (3) quod neque Vassallus à Domino, neque Dominus à Vassallo possit exigere juramentum calumniae; quod ipsum tam de generali quam speciali juramento intelligendum est. 2. F. 33. §. 1. (4) quod sexus muliebris in causis feudalibus à dictione testimonii tam in probanda feudi substantia, quam qualitate arceatur. 2. F. 32. (5) quod in probanda nova investitura regulariter pares Curiaë testes esse debeant. 2. F. 32. 2. F. 58. c. 1. quæ tamen regula varias admittit limitationes, quæ videri possunt aq. Rosenth. C. 12. conclus. 17. imo hodierno usu instrumenta, seu literæ super investituris conscriptæ sufficiunt, etiamsi non adsit subscriptio parium. Schneid. v. part. 4. epit. feud. n. 29. Paul. Christin. dec. Cur. Belg. 86. & seqq. (6) quod ad probandam feloniam quinque testes summæ & integræ opinionis requirantur, 2. Feud. 57. quamvis hodie etiam duos sufficere tradant Carol. Molin. in Consuet. Paris. tit. de mater. feud. §. 6. n. 66. Borcholt. de feud. cap. 10. n. 42. vers. sed hoc: (7) quod si actor nihil probaverit, reus non illico absolvatur, sed defendere juramento se debeat cum duodecim sacramentalibus; quod tamen hodie desuetudine abrogatum est. (8) quod in dubio feudum potius antiquum, quam novum, magis proprium seu rectum quam improprium & degenerans, ex pacto & providentia, quam hæreditarium, summam

res potius allodialis quam feudalis præsumenda sit 2. Feud.
11.45. 2.F.6.41.51. & Feudistæ communiter.

THES. XXIII.

Locus Judi-
cii.

De loco iudicii Parium Curia, ubi exerceri debeat illud, quædam adhuc superessent dicenda: Regulariter in eo lites arbitrari esse pertractandas, si nihil aliud fuerit actum, in quo Dominus pro tribunali sedere solet. Quod si vero talis non appareat, consilium de eligendo inter Pares esse ineundum, ita ut & Dominus adhibeatur, quod debita ipsi exigere videtur reverentia. *arg. 2.f. 22.c. 1.* si verò adeo in sententiis sint diversi, ut conveniendi inter eos spes nulla sit, Domini omnibus anteferendam auctoritatem, qui pro arbitrio locum assignet. *Vultej. lib. 2. cap. 3. in fin.* Ut ut, referente Rosenthal. *cap. 12. conclus. 5. n. 53.* videatur, quod tunc Dominus ad unum, Vasallus ad alterum actum iudiciale, & sic alternis vicibus eligere debeant.

THES. XXIV.

Sententia.

In hoc loco probationibus factis, ut & deficientibus his, probabilibus argumentis, Pares Curia conformem his ferunt sententiam, hunc absolvendo, illum condemnando, *l. 3. C. de sent. & interloc.* prout circumstantiæ causarum exegerint. In sententia hæc ferenda, ut alias, ita etiam in controversiis feudalibus primum omnium attendi debet, quid actum sit, quod cum plerumque in instrumentum referri soleat, quod investitura appellatur, ex instrumento illo investituræ, siquidem in iudicio sit exhibitum, cognoscendum est, atque secundum illud iudicandum. *c. 1. de duob. frat. à Capit. invest. Bald. in prælud. feud. divis. 4. vers. porro, & in c. 1. §. denique,*

iniqua, qua fuit prim. caus. benef. amitt. Sonsbec. p. 9. n. 26.
 si de conventionē aliqua speciali non appareat, tunc natura feudi controversi ex longo usu & observantia æstimari debet. 2. Feud. 1. & quidem cum primis attendenda specialis loci consuetudo. Quod si autem specialis consuetudo non extet, iudex circumspēctus attendet, an in libris nostris feudalibus quid reperiri possit, ex quo proposita controversia decidatur: aut si nihil reperiat, an decisio propositæ controversiæ per bonam aliquam argumentationem inde elici possit. Wesemb. de feud. c. 17. num. 14. vers. si nec illud. Quod si ne hoc quidem fieri possit, tum ad jus commune scriptum est perveniendum, & quantum fieri potest decisio ex illo petenda, ut vult Obert. in 2. Feud. 1. His autem omnibus deficientibus, ex probabilibus argumentis & æquitate ipsa iudicandum censent. per l. 5. §. 6. ff. de re milit. Ita latâ sententiâ Pares Curiaë sufficienter & ex omni parte officio suo functi censentur. Si quis tamen sententiâ læsum vel gravatum se putet, remediis in jure concessis impugnare sententiam poterit, puta Nullitatis, restitutionis in integrum, supplicationis ac Appellationis, in qua tamen appellatione probe animadvertendi sunt gradus. Non enim permissum est, ad supremum statim provocare iudicem, sed ordine procedendum est, non quidem, ut fiat de curia inferiori ad superiorem, sed ad Dominum proxime, superiorem adusque Imperatorem. Ant. Diss. 15. thes. 8. l. 5. vel si hic superior feudi Dominus non detur, ad eum, qui alias in causis civilibus est superior, & cujus jurisdictioni iste iudex feudalī inferior est subiectus. Gail. 1. Obs. 1. n. 56. in fin. Schultz. Synops. Feud. c. ult. n. 47. & 48. Temporis præterea con-

Per remedia
 juris appellat
 tionem &c.
 impugnari
 potest.

stituti accurate est habenda ratio, intra quod legitime interposita coram superiori iudice introducatur. In prosequenda ea summa adhibeatur diligentia, nec, quæ jure communi præscripta deprehendimus, omittantur, hæc enim pariter in controversiis feudalibus obtinent, cum speciale nihil de iis dispositum sit. Terminò enim neglecto, nihil amplius suppetit consilii, sed quod in omni usu venit iudicio, sententia transit in rem judicatam, quæ ulterius aufert subsidium, ac locum facit executioni. Hæc peragitur vel ab ipsis iudicibus feudalibus, Paribus sc. Curia, si in viribus ipsorum constiterit, vel deficient hoc à iudice ordinario superiore loci, in quo damnatus habet domicilium, vel ubi res antea controversa sita est, uti hoc eleganter enucleatum reperimus apud Vultej, *l. 2. cap. 3. num. 54.*

Finis & effectus,

THES. XXV.

Quemadmodum vero omnia iudicia instituta sunt, ut oppressi impetrent legitimum præsidium, *l. 4. C. de his qui ad Eccles. conf. lites in Rep. terminentur, l. 13. C. de iudic.* & unicuique suum publicam reddatur autoritate, *c. cum aeterni. de re iudic. in 6.* Imò teste Cic, pro Cecinna aut distrahendorum aut puniendorum malefactorum causa reperta sint, ita eundem scopum intendit hoc iudicium nostrum feudale, eundemque feliciter plerumque consequitur. Mediante enim hoc, pro quo merito pugnat æquitatis ac justitiæ præsumptio, utraque pars id, quod jure ipsi competit, obtinet, dum Dominus ob fidem ipsi datam non habeat, quod vereatur, injustam à Vasallo ipsi latam iri sententiam, & Vasallo præbeatur occasio, cum eo, qui sæpius potentia ac dignitate multis ipsum exsuperat passibus,

ibus, litem legitimo modo tractandi, & justitiâ causæ demonstratâ, illud, quod sibi debetur, nanciscendi. Ad hæc judicium nostrum P. C. complures cum judicio Communi similes parit effectus, quod scil. perpetuet actiones *l. unic. C. ex delict. defunct.* interrumpat præscriptionem. *l. fin. C. de præscript. long. temp.* Possessorem in mala fide constituat. *l. 2. & l. antepen. eod. & c.*

THES. XXVI.

Ut tandem de contrariis quædam addamus, pugnant cum judicio parium Curia formæ & legitimi Contraria, processus omissio. *l. 9. C. de iudic. l. 4. C. de sent. & interloc.* Litis præscriptio. *l. 4. C. de præscript. 30. ann.* Quibus annumeratur incompetencia, quæ locum invenit, si de dubia jurisdictione controversia sit, quo casu non pares tantum, sed & Dominus cum iis iurisdicendi sibi potestatem arrogat *Vultej. lib. 2. de feud. c. 2. num. 17.* ut & in aliis compluribus casibus, de quibus vide passim Doctores.

Et hæc de Parium Curia judicio: quod quidem ob largitatem materiae prolixius tractari potuisset, sed potiora saltem protulisse sufficiat, DEO autem T. O. T. M. cujus gratia hoc ipsum perfecimus, grates solvimus immortales, ejusque directioni ulteriores nostros conatus ac labores concredimus.



COROLLARIA.

I.

Gemina si fuerint contracta publice sponsalia, firma & rata habentur priora, licet copula carnalis ad posteriora accesserit.

II.

Preferuntur tamen prioribus sponsalibus, etiam publicis & copula carnali confirmatis posteriora, si per nuptias & benedictionem sacerdotalem hæc fuerint consummata.

III.

Judex qui legis ferendæ non habet potestatem; item Jure Consultus salvâ conscientiam furi pœnam laquei dictare possunt, licet eandem justo credant esse rigidiorē.

IV.

Abusiva investitura tribuit jus in re.

Nobilissimo


Nobilissimo Clarissimoq; Juris Candidato
DN. JOH. CONRADO
SONDERSHAUSEN,

Fautori suo honorando

PHILIPPUS LUDOVICUS
HANNEKENIUS, D.

Prosperitimum rerum successum Pr.

IN parietem caducum nemo sciens, sin sapit, inclinatur; Axioma id, Fautor estimande, practicum per naturam notum, politicis etiam preceptis, per comparationem similium, inculcatur. Ex quo ingenium tuum per collegii Gelliani exercitationes cognoscere mihi licuit, adamare id pariter, & ad aliorum imitationem sistere cœpi non in caduca, sed solida, non in subitanea, sed explorata gnauiter intendens, quod sub insigni privata diligentia & expolitione Excellentissimi Domini Avunculi, D. Thilenii, Collegæ nostri jugiter suspiciendi, in hanc studiorum summam enituit, quam publico scripto de iudicio Parium Curia non tam ostendis, quam laudandâ ambitione, in gloriam familia, venerabilis Parentis profundum gaudium, & Patronorum provectionem ostentas. Da veniam

AK TK 3106

32

niam, si non tam tibi, quam Academia nostra de
tuo studiorum gratuler documento; saltim enim
confutabuntur isthoc non admodum boni nostri
fautores, qui, nescio quibus auctoribus commoti, no-
stras Musas adire detrectaverunt, quod non sit
apud nos solida ad studia vera manductio, &
Professores in lectionibus collegiisq; habendis ardori
desidiæve auditorum consulere aut nolint aut igno-
rent. Tu testis eris Professorū diligentia & accura-
tionis; tu testis eruditi commercii; tu testis & tue
virtutis & nostræ eris in tua aliorumq; parium
laude gloria. Faveat adorandum Numen cæleste
porro tuis institutis futurisq; actionibus, ut capta
ab illustrissimæ materie, de judicio Parium, occa-
sione, iudicium tibi optimorum assurgat Magna-
tum, quo inter Consiliarios exoptatissimæ politia &
pii regiminis Pares propediem numereris; & esto
par semper desiderio clientum, par consiliis consu-
lentium, par administrationi imperantium, sitq;
adeo tibi tua felicitas perpetua, ut superet paritatem
Curia parium, quam satis instabilem ostendit ad
Cominæum & Frossardum tersus latinitate Jo-
hannes Sleidanus. Desino plura: Vale etiam
atq; etiam, & mihi favere perge.

1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ga
vo
tr
m
de
ta
ta
m
d
r
e

